



**Tractatus Juridicus Ad Librum III. Decretalium Gregorii IX.  
Clericorum in communi, nec non Prælatorum, ac  
Capitulorum in specie obligationes, & jura complectens**

**Scharz, Oddo**

**Salisburgi, 1738**

§. Unicus. Quid sit suppressio Beneficii? Ex quibus causis, & à quo fieri possit?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63800](#)

statur Covarruv. in cap. 7. de Testam.  
num. 9. Gutierrez QQ. CC. lib. 1. cap. 29.  
num. 29. § 30. Recè cum Annis caren-  
tiæ convenire dixeris, quia, sicut bene-  
ficiato, qui primis annis fructibus care-  
re debuit, ejus hæredibus post mor-  
tem restituuntur, ita taliter proviso, ut  
pro primo anno medietatem duntaxat  
fructuum sui beneficii capiat, nullum  
sit præjudicium, siquidem, eo defun-  
cto, hæredibus vigore hujus consuetu-  
dinis, aut statuti, altera medietas per-  
solvit, & sic nihil amittit, nec aufer-  
tur, sed tantum differtur solutio, prout  
firmat Garzias declarationibus Cardi-  
nalium S. Congregationibus part. 11.  
cap. 5. §. 1. num. 137. & seqq. Petra  
pag. 49. n. 26. Quòd si verò ejusmodi  
*Annalia* ex speciali favore Sedis Apo-  
stolicæ alicui concedantur, sunt actus  
meritæ gratie; nec dici potest, Annali-

stam habere aliquod jus strictè dictum  
ad ejusmodi fructus, utpote quos non  
tanquam stipendum propter Officium  
spirituale percipit, sed prorsus gratuito  
citra omne meritum, ideoque eosdem  
ad hæredes non transmittit. Aliter  
*Annus gratiae* apud Protestantes conser-  
vatur, hi enim concedendo *Annalia*  
viduis, & liberis suorum pastorum pro-  
spicere volunt. Quia verò in Ecclesia  
orthodoxa ejusmodi impedimentis non  
decet onerari beneficiatos, eorum cura  
quoad *Annūm gratiæ* nos non angit.  
Boehmerus cit. tit. à §. 289. usque ad  
finem harum personarum miserabilium,  
scilicet pastorum, eorumque uxorum  
patrocinium suscepit, cui tutelæ glo-  
riam, & gratiam, quam ab ipsis homi-  
nibus init, neutiquam invidemus. Per-  
gimus jam ad Partem II.

## P A R S II.

### De Suppressione Beneficiorum.

#### §. Unicus.

*Quid sit suppressione Beneficii? Ex quibus causis, & à quo  
fieri possit?*

#### S U M M A R I A.

- 27. *Suppressione beneficij regulariter est prohibita, certis tamen casibus bona fide, & licita.*
- 28. *Eam solus Episcopus, cum consentu Capituli facere.* 29. *Non tamen fructus  
beneficij suppressi mense Capituli applicare potest.* 30. *Competit eidem quoque  
facultas reducendi numerum Missarum ob tenuitatem redditum, & raritatem  
Sacerdotum.* 31. *Declaratio Cardinalium auctoritate Urbani VIII. edita, qua  
hæc potestas Episcopis rursus adempta fuit, usu non videtur esse recepta.* 32. *Be-  
neficia in Ecclesiis vetustate collapsis an sint supprimenda, remissive.*

Sup-

27 **S**uppressio Beneficii nihil aliud est, quām totalis extinctio Beneficii, quae suppressio, cum ad cultus Divini diminutionem tendat, regulariter non est concessa. cap. 8. & 12. de Constitut.

Dixi regulariter. Etenim ex causa id fieri posse, patet ex Trident. Sess. 24. de Reform. cap. 15. si scilicet in Cathedralibus, & Collegiatis insignibus frequentes, adeoque tenues sint præbendæ, quæ alendo, & sustinendo decenti Canonorum numero, & gradu, pro loci, & personarum qualitate non sufficient, nec per unionem, ut dicetur, provideri possit, eo, inquam, casu licebit aliquas ex iis supprimere, & si de Jure Patronatus laicorum fuerint, de consensu Patroni id fieri debebit, qui tamen, si irrationabiliter dissentiat, poterit Episcopus, eo etiam invito, supposita causa justa de beneficio Patronato disponere, quia Patronus non debet impedire magnam Ecclesiæ utilitatem. Panorm. ad cap. 8. de Constit. n. 5. arg. 1. 7. princ. ff. de administr. & peric. Tut. uhi ex causa necessitatis potest tutor, etiam non confecto inventario, bona pupilli administrare, quod aliás, cessante necessitate, facere non posset. Præbendarum deinde suppressarum fructus reliquarum præbendarum distributionibus quotidianis applicandi erunt, ita tamen, ut tot præbendæ supersint, quæ Divino cultui celebrando, ac dignitati Ecclesiæ commodè valeant respondere. Est enim numerus Clericorum in Ecclesiis instituendus secundum facultates, & redditus ipsarum cap. 1. de Instit. cap. un. de Stat. Monach. in 6. Garz. de Benef. part. 12. cap. 1. n. 2.

Quæres: Cui competit facultas 28  
supprimendi beneficia? Respondeo,  
competere solis Episcopis, adhibito ta-  
men consensu Capituli, utpote in re  
ardua, & mutationem status Ecclesiæ  
concernente. Ratio est, quod Concil.  
Trid. cit. loc. hanc potestatem conces-  
serit Episcopo non sub nomine Ordina-  
rii (sub quo alias Prælatus inferior ju-  
risdictionem quasi Episcopalem habens,  
Capitulum Sede vacante, Vicarius Gene-  
ralis Episcopi comprehenditur) sed sub  
nomine Episcopi, in verbis: liceat Epi-  
scopis &c. & idē soli Episcopo, exclu-  
so Capitulo, Vicario Generali, & aliis  
Prælatis jurisdictionem quasi Episcopa-  
lem habentibus, fuisse hanc facultatem  
indultam, declararunt Cardinales ad  
cit. loc. Concilii n. 3. & notant signan-  
ter Barbos. ad cit. cap. Concil. num. 5.  
Moneta de Distrib. quotid. part. 1. c. 5.  
n. 30. Garz. part. 12. cap. 2. num. 75.  
& seqq.

An verò Episcopus fructus benefi- 29  
cii suppressi, cum consensu Capituli,  
possit ejusdem Capituli mensæ applica-  
re, dubitatur? Respondeo cum Gloss.  
in Clem. 2. de rebus Eccles. non alienand.  
negativè. Sive bona Episcopi, & Ca-  
pituli sint communia, sive divisa. Felin.  
in cap. 8. de Constit. num. 22. Quòd si  
verò fructus vellet applicare uni vel al-  
teri præbendæ, id Episcopo non esse  
vetitum, defendit Felinus loc. cit. non  
item, si singulis Canonicis applicandi  
forent, eò quod major præsumatur af-  
fectio in his, quæ tangunt singulos,  
quām quæ concernunt universos; per  
l. 2. C. quando, & quibus quarta pars.  
ubi expressè dicitur, naturali vitio ne-  
gligi silere, quod communiter possidetur.

Ex



30 Ex dictis colligitur, posse Episcopos ob tenuitatem proventuum in Ecclesiis, ubi nimis magnus est Missarum vel Anniversariorum numerus, ita, ut vel ob paucitatem Sacerdotum, vel ob exiguo reditus omnibus satisfieri nequeat, tanquam in casu necessitatis, aliquam suppressionem facere, & Missas ad minorem numerum reducere, Garz. de Benefic. part. 7. cap. 1. n. 124. Azor. Tom. 2. lib. 6. cap. 24. quæst. 6. Bordonus de Legat. cap. 15. de Reduct. Miss. Q. 2. §. 5. num. 5. § 17. quod ipsum jure novissimo Concil. Trident. Sess. 25. de Reform. cap. 4. concessum legitur, ut scilicet Episcopi in Synodo Diocesana, item Abbates, & Ordinum Generales in suis Capitulis facultatem habeant, re diligenter perspecta, moderationem aliquam adhibendi, seu Missas ad minorem numerum reducendi, prout in conscientia sua expedire judicaverint, ita tamen, ut eorum omnium defunctorum, qui pro animarum suarum salute aliquid reliquerunt, commemoratio fiat, cui quidem ex declaratione Cardinalium ad d.l. Concil. n. 2. in fine satisfieri poterit, vel in Memento, vel in Collectis. Sed, quia hodie, saltem in Germania, rarius habentur Synodi, ideo à S. Congregatione resolutum fuisse, refert Barbos. de Offic. Episc. part. 2. alleg. 29. num. 6. ut Episcopus prius Capituli sui consilium requirat, quam reductionem Missarum faciat. Hac tamen facultate Episcopus uti non potest in Missis particularibus tum votivis, tum pro defunctis, vel alio fine à personis particularibus pro justo stipendio sigillatim petitis (ut accidere posset in locis taumaturgis, ad quæ magnus peregrinantur numerus accur-

rens Missas; oblato stipendio, ad suam intentionem celebrari petit) quæ sine consensu potentium ad minorum numerum reduci neutiquam poterunt. Barbos. de Offic. Episc. part. 2. allegat. 29. num. 14. Navarr. Consil. 9. m. 9. & Consil. 11. num. 1. de Celebr. Miss.

Quanquam verò Barbos. in Collect. 31 ad cit. cap. Trid. afferat declarationem Cardinalium auctoritate Urbani VIII. editam 21. Junii 1625. qua dicta potestas Episcopis, & Abbatibus concessa rursus fuit adempta, ex ratione, quod Episcopi se nimium faciles exhibendo in reducendis ejusmodi Missarum obligationibus potestate sibi indulta fuerint abusi, decretumque est, ut post-hac Missarum reductio immediate à S. Congregatione Concilii Trid. petetur, ut notat Card. de Luca in Annot. ad Concil. Trid. discurs. 21. num. 9. de ejus praxi tamen, & receptione merito dubitant Miranda in Manual. Prelat. quæst. 41. art. 24. ad fin. Azor. part. 2. lib. 6. cap. 24. quæst. 6. P. Engl b. t. n. 7. Zypæus in Consult. Canon. lib. 3. de Celebr. Miss. consult. 1. eo quod facultatem commutandi ultimas voluntates ab ipso Concil. Trid. concessam dict. cap. 4. § Sess. 22. de Reform. cap. 6. nimium restringat, nec conveniens videatur, potestatem immutandi beneficii iis degenerari, quibus omnimoda suppressio ex causa concessa est, ut dictum. In contrarium tamen sententiam abit Thom. Tambur. in Method. celebr. Miss. lib. 3. cap. 1. & dictam declarationem per totum orbem obligare, constanter assertit.

Notandum hic adhuc venit ex Concil. Trid. Sess. 21. de Reformat. cap. 6. Beneficia Ecclesiarum vetustate, aut, quæ alias propter inopiam reparari nequeunt,

queunt, neutquam suppressima, sed cum omnibus oneribus, & emolumen-  
tis ad alias potius Ecclesias transferen-  
da esse in iam erecta, vel erigenda Al-

taria, seu Capellas sub iisdem invoca-  
tionibus, de quo plura in Tit. de Edi-  
fic. vel reparand. Eccles. suo tempore  
dicetur.

## P A R S III.

### De Divisione, & Dismembratione bene- ficiorum.

#### §. Unicus.

*Quid Divisio? Quid Dismembratio beneficiorum? Et  
ex quibus causis utraque fieri possit?*

33. *Quid interfit inter divisionem, & dismembrationem beneficii?* 34. *Utraque regu-  
lariter est probita.* 35. *Requiruntur eadem solemnitates, quæ in alienatione bo-  
norum.* 36. *Quæ causa sufficiens ad faciendam divisionem?* 37. *Tria insuper in  
divisione beneficiorum observanda, quæ enumerantur.* 38. *Cur in Decretalibus  
frequentius prohibeatur beneficiorum suppressio, quam eorum unio, ex Bæbmero ra-  
tio, & causa refertur.* 39. *Cur Ecclesia protestantium se diviserit ab unitate Ec-  
clesie, ratio ex S. Augustino redditur.*

33 **D**ivisio beneficiorum fieri dicitur, quando ex uno beneficio duo constituuntur. *Dismembrationem* fieri dicimus, quando titulo unius beneficii illæso remanente, fructus ejusdem duntaxat separantur, & alteri beneficio applicantur. P. Reiffenstuel b.t. §. 2. n. 21. & 24. Castropalao part. 2. Tract. 13. §. 10. num. 1. & 3.

34 Utraque regulariter est prohibita per cap. 8. 20. 26. & 36. de Præbend. Si tamen causa iusta interveniat, cessat prohibito cap. 3. de Eccles. edific. Conc. Trid. Sess. 21. de Reform. cap. 4. ubi expressè statuitur, quod si ob locorum distantiam Parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, & Divina officia audienda accedere non

possint, Episcopis liceat, invitatis etiam Rectoribus juxta formam d. cap. 4. no-  
vas Parochias constituere, assignata-  
Presbyteris noviter erectæ Ecclesiæ pra-  
ficiendis arbitrio Episcopi congrua por-  
tionem ex fructibus Ecclesiæ matricis, &  
si necessè fuerit, etiam populus ad sup-  
peditandos sumptus, qui ad congruam  
sustentationem dictorum Sacerdotum  
necessarii fuerint, compelli possit.

Itaque requiruntur hic cædem cau- 35  
sa, & solennitatem, quæ alias in alie-  
natione rerum Ecclesiæ, ut consensus  
Capituli, vocatio Rectoris, aut defenso-  
ris &c. per cap. 1. de rebus Ecc. alien.  
in 6. Garzias part. 12. cap. 3. latè Lot-  
& seqq. Patroni tamen consensum, si  
I i be-